

CHRISTI
451.

LEONIS PAP.
12.

VALENTIN. 27. IMP.
MARCIANI 2.

recta fidei fundamentum, nudavit eum
tam Episcopatus dignitate, quam etiam
ab omni sacerdotali abalienavit ministerio.
Igitur sancta hæc & magna Synodus, que
placuit regulis, super memorato Dioscoro
decernat. Hactenus sententia legatorum,
cui universi Episcopi subscribere, singu-
li singulis impium Dioscorum perstringen-
tes sententiis hoc ordine: Post legatos
sententiam dixit Anatolius Episcopus Con-
stantinopolitanus, inde vero Maximus An-
tiochenus, & subinde reliqui. Hanc tan-
dem tumens arrogantia novus Pharao ju-
stissimam damnationem accepit, seccen-
torum & amplius Patrum sententiis, ve-
luti fluctibus obrutus, concinentibus ex
adverso in tuto litore Fidelibus omni-
bus una cum Moysè canticum Domino,
qui Pharaonem cum curribus ejus in ma-
re demersit.

LXXXIX. Damnato in hunc modum Dioscoro,
S. Synodus ea de re Synodalem ad Valen-
tinianum & Marcianum Imperatores e-
pistolam scripsit, cujus est exordium: *Ma-
gna aegritudines & medicamento forti, &
medico indigent sapienti, &c.* Dedit etiam
eodem argumento conscriptam ad sanctam
Pulcheriam Augustam, que incipit: *Mul-
ta tibi dona præstentur, &c.* In his om-
nibus plura Patres in commendatione
ipsorum pietatis erga Deum, & vigilan-
tis curæ erga ejus Ecclesiam exhibitæ.
Propositum quoque fuit publicum a san-
cta Synodo de Dioscorig damnatione de-
cretum; itemque ad ipsum Dioscorum
ejusmodi damnationis suæ significatio mis-
sa (a).

(a) Conc.
Chalced.
Act. 3.
XC.
Ad Dio-
scorum
Patres.

Cognosce te ipsum, propterea quod di-
vinos canones despexisti, & inobediens
exististi huic sancto & universali Concilio,
superque hæc, præter alia tua commissa,
in quibus inventus es reus, etiam tertio
votatus ab hac sancta & Magna Synodo
secundum divinas regulas, ut accusatio-
nibus responderes: minime occurristi. O-
ctobris mensis præsentis tertio decimo die,
a sancto & universali Concilio esse ab E-
piscopatu depositum, & ab omni Ecclesia-
stica functione summotum. Hæc ad Dio-
scorum sancta Synodus Chalcedonensis;
quæ etiam de ejusdem damnatione litte-
ras dedit ad cælum Alexandrinum: ex-
tant omnes, sed brevitatis causa eas ci-
tasse sufficiat. Sic igitur justissima dam-
natione Dioscorig omnium superbissimi,
crudelitate, turpitudine, omnes facile
superantis, atque impietate nulli secun-
di clausa est Sessio tertia Synodi Chal-
cedonensis.

XCII. Eodem vero anno, iisdemque Con-
sulis ad decimum sextum Kal. Novem-
bris iterum eodem in loco habita sunt
sacra Comitia, iisdem Episcopis in unum
convenientibus simul cum magistratibus
& Judicibus cognitoribus: ubi proposta

est causa Episcoporum qui cum Diosco-
ro præfuerunt improbo Ephesino Con-
ventui. Fuerunt hi Juvenalis Hierosolymi-
tanus, Thalassius Cæsareæ Cappadociæ,
Eustathius Berythi, Eusebius Ancyra, &
Basilus Seleuciæ Episcopi. Atque in pri-
mis interlocutione Judicum cognitorum
recta fides accepta ab omnibus atque pro-
bata est, nempe Nicænum Symbolum at-
que Constantinopolitanum, decreta Ephe-
si, necnon epistola S. Leonis Papæ: qui-
bus una cum aliis Episcopis subscribere
quinque collegæ Dioscorig modo nomina-
ti, qui & damnaverunt his contraria sen-
tientes: jusque sunt Synodum ingredi,
a qua ante repulsi erant, utpote rei cum
Dioscorig in Synodo scelorum patrato-
rum: conjunctique sunt Ecclesiæ, a qua
communicatione Dioscorig facti erant ex-
torres.

Quinque
Epif. in-
dulgen-
tiam con-
fecuti.

Post hæc ingressi Ægyptii Episcopi cum
libello fidei quem obtulerant Theodosio
Imperatori: eoque lecto, iusti sunt ab
Apostolicæ sedis legatis dicere in Euty-
chetem anathema, & subscribere episto-
læ sancti Leonis: sed detrectantes id fa-
cere, quod expectarent novi Alexandri-
ni Episcopi electionem, quem in subscri-
ptione essent secuturi: instante rursus
Synodo ut damnarent Eutychetem, fece-
runt tandem: urgentibusque Patribus ut
subscriberent litteris sancti Leonis, tenuerunt:
eo tantum usi prætextu, quod mor-
is esset Ægyptiis Episcopis sequi in sub-
scriptione Alexandrinum: seque magno
periculo id tentaturos ob alios Ægypti
Episcopos; prostermentesque se, petiere
ut placeret sanctæ Synodo primum eligi
Alexandrinum Antistitem. Horum postu-
lationibus, supplicibusque voris annuit
tandem Synodus, cautione adhibita, ipsos
omnes non recessuros Chalcedone, sed e-
lectionem novi Episcopi opperituros. Ha-
ctenus Actio quarta. In Græco autem
codice ante nuper recensitam Actionem
quartam ponitur Actio Synodalis de Euty-
chianis Archimandritis, distincta ab a-
liis vel superioribus, vel posterioribus A-
ctionibus. Verum quod spectat ad res in
Synodo gestas ab Archimandritis, Lati-
nis exemplaribus magis in his deferendum
putarem, quam Græcis: ea potissimum
ratione, quod non sit credendum Archi-
mandritas hæreticos auditos esse, ante-
quam lapsorum Episcoporum causa per-
tractaretur; qua (ut vidimus) hæc in
Actione absoluta, datus est locus Archi-
mandritis hæreticis proponere quæ vel-
lent.

XCII.
Ægyptii
Episcopi
expectant
novum E-
piscopum
Alexand.

Introumissis igitur post hæc Archiman-
dritis illis, qui in pseudosynodo Ephe-
sina faverant contra Flavianum Dioscorig
& pro Eutychete prodeuntes, fidem Ca-
tholicam prodiderunt, inter quos emine-
bat Carolus, & Dorotheus, atque sce-
leri.

XCIII.
Archimandrita-
rum Hæ-
reticorum
perfidia.